


369.






Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 369 8° (LN 836)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 369 8° (LN 836)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 369 8° (LN 836)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 369 8° (LN 836)

Nº 369.



M. T. sculpsit



- 8. 4. 836

M

369.

TERCIA
DISPVTA=

TIO, DE SEXTO PRÆ.

cepto, videlicet de coniugio,

proposita

à

Nicolao Hemmingio,


in Martio,

Anno

1572.



HAFNIÆ,
Excudebat Matthias
Vinitor.



1
ETSI NUPTIÆ CON-
iugium & matrimonium v-
nam eandemq; rem declarant:
tamen ratione quadam differunt.

2.

Nuptiæ enim à gestu sponsæ dicun-
tur. Nam sponsa cum in domum sponsi
ducebatur, velabat faciem, & Flammeo
vultum, veluti nube quadam obtexit, id-
que in signum casti pudoris, liberalis sub-
iectionis, firmi propositi quod statueret
sub tectum solius mariti degere, eiusq;
solius thoro contenta esse.

3.

Vocabulum nuptiarum postea mansit
apud nuptiarum solennitatem & ceremo-
nias à quibus coniugium sumit initium.

4.

Coniugium appellatur à iugo, eò quòd
coniuges quasi stabili iugo pariq; iun-
ctos



Etos esse oporteat, & quòd sint eiusdem iugi consortes. Quo symbolo indicatur quod deceat parem conatum, curam, amorem studiumq; in consortibus esse. Huc respexit Sapiens cum de impari coniugio diceret, Βοσζύγιον σαλευόμενον γυνή πονηρά
 Mulier mala tanquam iugum bouis instabile, ut quod huc illuc agitetur inconstans.

5.

Matrimonium dicitur ab industria, labore et solitudine matris, in pariendis, fouendis, curandis & educandis prolibus.

6.

Tametsi autem sæpè accidit ut coniuges absque prolibus uiuant: tamen rectè denominatio rei desumpta est à consilio et proposito contrahentium, & non ab euentu, qui est incertus.

7.

Porro coniugium est, iuxta descriptionem Mosis, diuinitus ordinata, vnius

A 2

maris

36
maris & vnius fœminæ legitimè consen-
sientium, in vnam carnem, mutui adiuto-
rij causa, coniunctio.

8.

Hanc definitionem si retexuerimus
in suas partes, offerent se omnia, quæ vti-
liter de coniugio dici possunt.

9.

Sunt autem huius definitionis partes
quinque, videlicet 1. à quo sit. 2. quæ
eius materia. 3. quæ causa efficiens. 4.
quæ forma. 5. quis finis.

10.

Cùm coniugium definitur esse ordi-
natio Dei, non solum commendatur con-
iugium vt sancta Dei ordinatio, verum
etiam multi perniciosi errores, quibus mul-
ti deformarunt coniugium, manifestè re-
futantur.

11.

Cùm Apostolus dicit, Coniugium est
honora-

honorabile inter omnes, & thorus immaculatus, ex hoc fonte desumptum est.

12.

Cum Tacianus secundas nuptias vocat πορνεία, φθορά, μῦθος, βδελύγμα, ex hoc principio refutatur.

13.

Cum Monachi immundiciem carnis appellant coniugium complexum, ex spiritu Taciani & non Christi loquuntur.

14.

Cum Papiſtæ ſuis ſacrificulis interdunt coniugium, propter eminentiam & dignitatem ſacerdotum, ordinationem Dei non æſtimant, vt meritò deberent.

15.

Cum ijdem conantur ſtabilire celibatum Sacerdotum, autoritate Papæ, voto, merito, & conſuetudine longa, in laqueos Satanae multos præcipitant, ſpreta Dei ordinatione.

A 3

Quando

36
16.

Quando coniugium dicitur esse vnius maris & vnius fœminæ, iuxta institutionem & legem coniugiorum perpetuam, euertitur polygamia, qua quis simul plures habet vxores.

17.

Huiusmodi enim polygamia, non solum cum institutione coniugij & lege illi addita pugnat, verumetiam cum natura ipsa.

18.

Institutio hæc fuit, vnus Adam & vna Eua vno copulantur coniugio. Si Deus voluisset vni mari coniungi plures fœminas, aut contra, vni fœminæ plures mares, hoc in prima institutione indicasset.

19.

Lex addita coniugio hæc est: Et erunt duo in vnam carnem, scilicet donec coniugij vinculum manserit. Hanc institutionem, & hanc legem violant, qui probant polygamiam. Cum

20.

Cum natura quoque pugnat polygamiae turpitudine. Nam natura ipsa nos docet, ipso corporum opificio et ratione generandi, quae ex duorum complexu corporum perficitur, vnum virum & foemina vnam, in vno coniugio coniungi debere & non plures.

21.

Quid dicam de amore coniugum, qui debet esse maximus? Nunc autem duorum tantum amorem inter se maiorem esse manifestum est, quam duorum aut plurium ad vnum. Ille enim emulatione caret, hic minimè.

22.

Omitto aequalem obligationem coniugum, impossibilitatem, pacem domesticam, legem dilectionis, quae omnia docent duos solummodo iungendos esse in vno matrimonio.

23.

A 4

An

36
An non Dominus cum vetat uxorem
vlla de causa dimittendam esse, præter ra-
tionem fornicationis, & eum qui secus fe-
cerit & aliam duxerit, affirmat moecha-
ri, manifestè polygamiam damnat? Hoc
est, ne quis simul habeat plures uxores.

24.

Verùm si moritur vna vxor & alia
ducitur, non est polygamia huius generis,
quod damnari dicimus. Sed est sancta
& honorabilis coniugij iteratio.

25.

Qui aliquid detrahunt secundis, ter-
tius aut sextis nuptijs, ordinationem Dei
contemnunt. Tàm enim honestæ, sanctæ,
& honorabiles in omnibus sunt successiue
iteratæ nuptiæ, quàm primæ, cum & ha-
rum & illarum eadem sunt causæ & ij-
dem fines.

26.

In definitione nostra sequitur, quòd
coniugium sit legitime consensientium.

Nam

*Nam Deus non est dicendus eos copulare,
qui illegitimè coniunguntur.*

27.

*Consensus igitur ut sit legitimus, re-
quiritur ut sit licitus, honestus, iustus,
liber, plenus, sincerus.*

28.

*Licitus est duplex. Alius enim iure
diuino & alius humano iure licitus.*

29.

*Diuino iure licitè contrahunt patrue-
les, consobrini, amitini. Humano iure, Cæ-
sario similiter contrahunt licitè, etsi fue-
runt quidam imperatores, qui hunc con-
tractum improbarunt. Pontificio autem
iure quo nos non obligamur, tanquam in-
cestuose damnantur consobrinorū nuptiæ.*

30.

*Verum in hac re multum tribuendum
est consuetudini & auctoritati gubernato-
rum, qui possunt propter certas causas ad-*

A 5

mittere

mittere & prohibere patruelium nuptias. Inter illustres personas sæpè vtilissimæ sunt, inter alios non item : Quare vellem in hac re paci rerum publicarum per huiusmodi nuptias consuli.

31.

Affinitatis prohibitio ex hoc fonte nascitur. Maritus & vxor sunt vna caro, hoc est habentur coram Deo pro vno homine, quantum ad coniugij legem attinet, Ergo non secus debeo abstinere ab vxoris cognatis, quàm à proprijs, & illa vicissim à meis. Mei autem consanguinei & vxoris mei consanguinei ea non tenentur lege. Nam liberæ sunt inter eos nuptiæ.

32.

Consensus legitimus debet esse honestus. Qui enim honestatis rationem non habet, non solum naturam, verumetiam ordinationem Dei videtur contemnere.

Viden=

Vid
vel
nita
N
natura
tur aq
P
esse i
contra
potest
Adhie
vt nec
liberis
L
liber,
confer
lunta
lunta

*Videndum est ergo ne impari coniugio
vel tibi vel generi tuo vel ordini & dig-
nitati notam inuras.*

33.

*Nihil enim tam expetit cuiusque rei
natura, quam sibi simile, nihil abomina-
tur æquè ac deuitat quàm dissimile.*

34.

*Præterea legitimus consensus debet
esse iustus, videlicet, vt non fiat clam
contra parentum aut eorum in quorum
potestate sunt contrahentes voluntatem.
Adhibenda est igitur talis temperatura,
vt nec maiorum spernatur autoritas, nec
liberis periat sua libertas.*

35.

*Debet etiam consensus legitimus esse
liber, iudicio & voluntate. Iudicio, vt qui
consentiunt sano iudicio hoc faciant. Vo-
luntate vero, vt quod iudicio probasti vo-
luntate approbes.*

36.

Debet

36
Debet quoque legitimus consensus
esse plenus, verbis & consilijs. Verba ca-
reant fūco & fraude, sint clara, perspi-
cua: consilia sint honesta, pia & sancta.

37.

Debet etiam legitimus consensus esse
sincerus, ne coeco amore, nec mendacio, nec
errore contrahatur. Nam quos amores
coniungunt dolores exercent. Nec un-
quam commoda et ex animi sententia ute-
ris ea, quam ad te mendacio pellexeris.
Natura enim eum à quo sumus falsi, ut
hostem odimus, nihilq; humano ingenio
inuisius, quàm frustrari spe atq; expe-
ctatione tanquam debito.

38.

Quarto loco in definitione meminimus
formae coniugij, quae videlicet est copula-
tio duorum in vnam carnem. Cum in v-
nam carnem dicitur, vna caro intelligen-
da est. Porro caro hominem significat,
vtrumque

Utrumque ex Hebrei sermonis proprie-
tate. Itaq; qui prius erant duo homines
conglutinati matrimonio fiunt vnus. So-
ciantur enim in vnum vir & mulier, &
corporum & animarum coniunctione.

39.

Pythagoras amicitiam definiuit v-
nam animam, hinc autem plus est, nimirum
etiam vnum corpus. Amicus est Aristo-
teli cuique alter ipse. Sed Deus coniugem
definiuit cuique eundem ipsum. Coniugi-
um enim non modo vel animum vnum, vel
corpus vnum facere debet, sed vnum pror-
sus hominem.

40.

Porro ex hac coniugij forma hoc est
arctissima coniugum copulatione, quinque
concluduntur.

41.

Primum necessitudo inter virum &
cognatos vxoris, inter vxorem & cog-
natos viri. Tantum enim vinculum est,
vt alter ad alterum transeat, & alter
cum

36
cum altero totus cohereat, adeo vt iubeamur non minus abstinere à coniugum cognatis quàm à proprijs, non alia de causa, quàm quòd vir & vxor vna sint caro.

42.

Secundum quod concluditur ex forma coniugij, est ius corporum æquale. Vinculum enim hoc coniugale facit, vt neuter coniugum ius sui corporis habeat, sed alter alterius, quod non fit vinculo cuiusuis alterius necessitudinis. Ideo Paulus ait: Maritus sui corporis potestatem non habet, sed mulier, & mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir. Quare? quia vtrumque est alterius & vtrumque est vnum. Est enim corpus vxoris corpus viri, & corpus viri corpus vxoris, & vtrumque vnum corpus.

43.

Tertium quod ex forma coniugij concluditur

cluditur est firmitas & insolubilitas vinculi coniugalis. Dominus enim interrogatus de diortijs, ex hac vnione masculi & fæminæ in vnâ carnem non soluendum esse, coniugium concludit. Erunt, inquit, duo in vnâ carnem. Item, quod Deus coniunxit homo ne separet.

44.

Hic Dominus non negat vinculum coniugij solui posse, sed de officio mariti loquitur, cui præcipit ne quavis de causa diuortium quærat. Sensus ergo verborum Domini est. Coniuges sunt vna caro à Deo vnita, Igitur vinculum debet haberi sacrosanctum & inuiolabile.

45.

Non igitur loquitur hic Dominus de homine iudice, qui vice Dei in iudicando fungitur, & punit ordinis diuini confusionem, Sed de homine, qui alteri vinculo coniugij iunctus est, ne ipse temerè vinculum soluat. Quaræ

369
46.

Quartum quod ex forma coniugij concluditur, est mutua coniugum dilectio. Sic enim Paulus colligit Ephes: 6. Viri, inquit, debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui enim vxorem diligit, se ipsum diligit. Nullus enim suam carnem odio habet, imo enutrit & fouet eam sicut Christus Ecclesiam. Huc adducit institutionem & legem coniugij: Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem et matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnā.

47.

Neruis proinde argumenti paulini est, Maritus & vxor sunt vna caro, qua nihil potest esse coniunctius. Ergo ipsa naturæ lex requirit, vt coniuges se mutuo ament, quod si non fecerint & Deum & legem naturæ contemnunt.

Quintum

48.

Quintum quod ex forma coniugij concluditur, est diuini & humani iuris communicatio. Quod tametsi inter accidentarias conditiones numerari debet: tamen non sine causa hanc partem Iurisconsultus in sua definitione apposuit. Ita enim ait: Matrimonium est coniunctio maris & feminae, consortium omnis vitae, diuini & humani iuris communicatio.

49.

Qualis quæso vitæ societas erit, vbi vel dispar religio, vel diuersa viuendi regula fuerit. Nunquam profecto firma & stabilis animorum coniunctio erit, qualem coniugium requirit, inter eos qui diuersam sectantur religionem.

50.

Canonem proinde, quo cauetur ne Christianus ducat alienam à sua religione laudo. Nam quantum mali ex diuer-

B

sa con-

36
sa coniugum religione veniat, vidit sanctissima matrona Rebecca, cum diceret: Si acceperit Iacob uxorem de stirpe terrae huius, nolo vivere.

51.

Huius canonis honestissima sunt rationes. Prima, ne deversitas religionis pervertat animum rectius sentientis. Secunda, ne soboles inter diuersas religiones educata, omnem religionem tacite auerferatur. Tertia, ne paulatim vterque in Epicurismum ruat. Quarta, ne familia tota impia reddatur.

52.

Hæ quatuor causæ satis graues sunt, cur fugiamus nuptias disparis religionis, sed hæ solummodo vnam familiam attingunt.

53.

Nam præter hæc mala quæ priuata familias ledunt, multo grauiora euenient

nient, si illustres personæ copularentur
disparēs in religione. Quante quæso hîc
fierent confusiones, cùm alij marito, alij
uxori adularentur. Nihil est ergo peri-
culosius, quàm si pius princeps duxerit a-
lienam à vera religione uxorem. Exem-
pla huiusmodi infœlicium nuptiarum non
ignoramus.

54.

Finis coniugij est mutuuum adiutori-
um, quod sanè latissimè patet. Non est
bonum, inquit, hominem esse solum, sed
faciamus ei adiutorium simile ipsi.

55.

Cum autem homo creatur ad simili-
tudinem Dei, & collocatur supra omnes
creaturas corporatas, haud dubiè ad op-
timum finem conditus est, qui est gloria
Dei. Quare non dubium est, quin coniu-
gum societas ideo peculiariter sit ordina-
ta diuinitus, ut in ista societate homines

B 2

Deum

30
Deum vere colerent. Sit ergo hæc pri-
ma pars mutui adiutorij, vt sint socij in
cultu D E I.

56.

Deinde quatenus coniuges societa-
tem priuatam & domum respiciunt, se
officiorum societate adiuuant, in qua par-
te spectatur σωφροσυνα, ἀγιότης, δικαιοσύνη,
γένεσις, quæ sub secunda parte mutui ad-
iutorij continentur, de quibus sigillatim
dicere, instituta breuitas non permittit.

57.

Ad hæc si ad Ecclesiam & socie-
tatem hominum vertimus oculos, in hoc
laborant coniuges, vt semina Ecclesiæ
& societatis humane iaciant, vt habe-
ant qui se mortuis Deum in Ecclesia
suo loco colant, & socij sint in humana
societate. Huc respicit Paulus, cum iu-
bet parentes educare liberos in disciplina

&

Et admonitione Domini, atque hæc ter-
tia pars mutui adiutorij sit.

58.

Porro eorum sententiam qui finem
coniugij dicunt esse, vt sit sacramentum
mirandæ copulæ Christi & Ecclesiæ, hac
conditione recipio, modo patiantur eodem
pacto omnia corporata dici Sacramen-
ta rerum inuisibilium & arcanarum.
Nihil enim corporatum à Deo conditum
est, quod non habeat aliquam compara-
tionem ad res arcanas & inuisibiles.

59.

Coniugium ergo non est Sacramen-
tum institutione noua, vt aqua baptif-
mi, panis & vinum coenæ Dominicæ,
Sed naturali quadam imagine, sicuti res
omnes corporatæ. Sol enim Sacramen-
tum Sponsi Christi est, & Stellæ Apo-
stolorum, ignis virtutis Spiritus sancti.

B 3

Ad

60.

Ad hunc modum coniugium est
 quedam imago naturalis nuptiarum Chri-
 sti & Ecclesie. Nam vt coniuges co-
 pulantur, spiritualiter fide & amore con-
 iugali, & corporaliter mixtione sexuum:
 ita Christus & Ecclesia, spiritualiter qui-
 dem fide & caritate, corporaliter vero
 societate naturæ humanæ copulantur.

61.

Hinc est quod Ecclesia dicatur ca-
 ro de carne Christi, & os de ossibus eius,
 quemadmodum Eua fuit caro de carne
 Adam, & os de ossibus ipsius. Qui au-
 tem vnum ex Sacramentis Ecclesie or-
 dinatis faciunt coniugium, quid sit Sa-
 cramentum Ecclesie vel ignorant, vel
 se ignorare dissimulant, vt alijs

fucum faciant.

Amicus 31. fustor vero non amicum
quorundam in toto quid
in vnum conceptu a reuerentia
sanctis quibus hinc a pro-
fanis. vobis est obsequio.

Et de non puf
et adp...
De amicum...
conuentionis p...
tin...
in...

369.

ingium est
iarum Chri
coniuces co
amore con
ne sexuum
ualiter quis
or aliter vero
opulantur.

a dicatur ca
ossibus eius,
ro de carne
us. Qui au
Ecclesie or
quid sit Sa
gnorant, vel
ut alijs

ff. de rito p
p. ad p. p.
p. p. p. p.
p. p. p. p.
p. p. p. p.